Misc. 650 n° 27

MONTES SYDERE CORONATI

SIVE

ORATIO DE S. SPIRITVS ADVENTV

Habita in Sacello Pontificum Quirinali

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

AD SS. D. N.

ALEXANDRVM SEPTIMVM PONT. OPT. MAX.

A Marchione Ioſepho Virgilio Maluetio Bonon. Sem. Rom. Conuict.

ALEXANDRO SEPTIMO PONT. OPT. MAX.

IOSEPHVS VIRGILIVS MALVETIVS F.

MEa hæc B. PATER de Spiritu Sancto Oratiuncula, Neotericorum vſa ſuffragio; ſtellas credidit, non alia luce micantes, quàm flammea: ac proinde, dum flammas hodie, deciduas vidit è Cœlo, ſtellas interpretata eſt, depluere in terram; dùmque eaſdem vidit (flammas ne dixerim, an ſtellas?) Apoſtolorum comis incumbere (hoc eſt ipſiſſimos Eccleſiæ vertices, & altiſsimæ culmina ſanctitatis illuſtrare) en

dixit: adorati totum per orbem Montes, ſplendido Cœli beneficio, ſtellis coronantur. Tu ergo B. P. cuius in Montibus Gentilitijs hæc ideo Cœli beneficia, hæc ſydera ſplendent; quia proprium Tibi eſt, ac natiuum, vt ſublimitatis tuæ Cœlum facilis in terram declines, humillimos quoſque Tui ſyderis ſplendore colluſtrans. Tu patere, precor; vt hoc qualecumque meæ obſequium Oratiunculæ, Tuo nomini, Tuo ſyderi inſcriptum, Tua prodeat in luce, Tuo ſydere coronetur. Et quando familiam meam vniuerſam innumeris propemodum illuſtraſti beneficijs, ſenſitque illa perabundè; quanti iàm ſit, non in ſole viuere, ſed in hoc ſydere: ipſe quoque (iterum precor, atque iterum) clementiſſimo eiuſdem Tui ſyderis aſpectu fruar, Tuo fruar ſplendidiſsimo patrocinio. Vale: & ſyderum vitam viue, qui fulges vt ſydus.

ORATIO.

COELVM B.P. non iàm terris vicinum, ſed planè conterminum, planè contiguum gratulamur, dum Pontificios Montes ſydere coronatos fulgentiſsimo adoramus. At nunquid hæc Cœli, terrarumque iuncta confinia vſurpare quis poſſit hodie, oculi tàm ſplendidè cæci, tàm probè rudis vſura, quin mentem illicò prouocari ſibi ſinat in huiuſmodi cogitationem? Heu dolēdum quidem fuerat egregiè, eiectam olim in Adamo è Paradiſi ſede noſtram mortalitatem; exulem videlicet è Cœlo terram, atq. in plagas à Cœlo remotiſſimas ablegatam. Nunc verò, ſupra quàm dici poſſit, gratulandum effusè; quòd per Spiritus Sancti Aduentum, mutata in melius rerum vice, Stellas iam terris familiares habemus, Cœlique cōmercia quodamodo palpamus lætabundi. Hanc ego cōmunis lætitiæ cauſam, dum hodie orationis meæ argumentum ſtatuo; dum ſydera, nouo iuncta fœdere cognatis terris dicendo proſequor, exordiri liceat in hunc modum.

Profectò nil aliud fuit, fracto per nubium viſcera Cœlo (cum factus eſt repente de Cœlo ſonus) excelſos ſupra Apoſtolorum vertices, ignita flammularum incendia Act. 2.

coru-

6

coruſcare,quàm Sydera Montibus incumbere, ſuoque ſplendore terram coronare.Nil aliud,è ſuperioribus Cœli partibus validam concitari tempeſtatem (cum Spiritus aduenit è Cœlo vehemētior)quàm Deum terris infundi, & Cœlum ad nos declinare deciduum. Nil aliud, per inopinum Elementorum tumultum, ſuccuſſam Cœnaculi ſtructuram trepidare (cum totam domum repleuit turbo Cœleſtis) quàm degere iam cum hominibus Deum, Cælumque terrarum indigenam, incolam eſſe velle priuatum, in noſtris animabus.

Ibid.

Ibid.

Quid ergò: quid plurimos turrium mōtes, montiumque culmina plurima in vnum aggerare cumulum, ſtudeas Gygantæus labor? num terras Cœlo miſcebis; habebitque per te hominum audacia certam ad Superos ſemitam, qua Sydera poſſit tutò calcare veſtigio ſuperbo? meditatas Cœlo iras, bellumque ſuperis indictum non complebit profectò temerarius Nembroth. Nec Senaar Campus, tanto diuulſas interuallo, terras iterum Cœlo iugabit. vt fœdus hoc nouum, terras inter, ac Sydera ſanciri valeat; vt iſthæc mutuos ruant in amplexus, amore cognato. ſuos quidem extollere debuit Montes excelſa virtus in hominum corde; ſed pluuia quoque ſydera defluere, neceſſe erat, in noſtrum ſinum. Quando verò aut defluerēt opportunius, aut fœlicius depluerent, imbre benefico; quàm feſto hoc Pentecoſtes die: dum videlicet, erepto in Cœlum ſalutis humanæ reparatore, hoc eſt, occidente nobis Iuſtitiæ ſole; obſcuriſſima in nocte caligaremus omnino; niſi miſſus in terras Paracletus obortæ noctis moleſtias luce ſolaretur vicaria; Stellas nempe ſoli occiduo ſubſtitueret, Cœlumque deferret ſecum in terras nobis domeſticum.

Geneſ. 11.

O quàm malè iam audiet, quæ peſſimè quondam audijt apud Auguſtinum, compoſita ad numerum perfidia canora, ſi magicas emuduletur cantiunculas, vt

De Ciuit. Dei lib. 10. cap. 10.

ex-

excantatam in Cœlo pallidam lunam, Syderaque loco dimota, deducat in terras carmen ferale? Num tanta inſit magorum voculis poteſtas, quas aure ſerr per ſurda excepit Cœlum, vt apparatu adeò leui, ſua Cœlo ſydera poſſint abripere? quæ vulgum forte detinebunt, ſpecie deluſum inani, flammæ deciduæ; illæ ſyderum erunt ſpectra, non ſydera: iſque tantumodo ſydera verè conciliabit terris, terris copulabit, cuius illa fuerat inconcuſſæ veritatis promiſſio: cum abiero, Paracletus veniet ad Vos. Quaſi diceret: abeunte in Cœlum parente, anhela fortaſſe filiorum vota fugitiuum ſequentur (licèt non paſſibus æquis) vt ſydera non iam è longinquo ſuſpiciant cœcutientes, ſed proxima teneant; proxima luce colluſtrentur. Fortaſſe duplici alarũ remigio, huius vitæ mortalitatem enauigare contendent, vt procul à ſæculi tempeſtatibus, in æternitatis portum recepti, vna cum muliere amicta ſole, aſtris coronentur. Fortaſſe, dum Aquila parens ſtimulos pullis addit, implumemque natorum ſegnitiem irrequieta ſollicitat, ſuper eos volitans, eoſque prouocans ad volandum; ipſi quoque ſe ſe agiles excutient; ſydera ſibi ſedem depoſcent, nidum ponere ſtudebunt in nubibus. Verum quicumque hæc tàm glorioſa molimini; quicumque optatis anheli: anxijs ſuperſedete conatibus, votorumque impatientiam temperate. Vbi primum homini reconciliando, Caduceator ipſe, ac ſequeſter, aſtra redux conſcendero; ſuis in flammis Paracletus, depluoque in igne, Aſtra ad vos deportabit in terram, terram Aſtris coronabit.

Ioan. 16.

Apoc. 12.

Deuter 32

Adamantinum olim Cœlum, ex Peripati placito, ſolidoque conflatum metallo, Græcorum Patrum ſolertia, & nouum Platonizandi genus, in ſpirabilem nobis auram diſſlarunt; cui ſparſim mobiles ſyderum flammas immiſcuere, natantes veluti piſces in aqua. bene eſt. ſic (dixerit aliquis) poterit commodùm, vaſto illo in Oceano,

Chriſtoph. Scheiner Roſæ Vrſ. lib. 4. c. 26.

no,

no Cæſarum natare fortuna, poterit mergi, vectore Cometa. Veriùs tamen exclamauerim ego: quàm facilè igitur Deo fuerit? dum ſuas hodiè fulgurat aduerſus
Pſal. 143. nos coruſcationes; vt totum diſſipans Orbem (Teſte Dauide) veterem quoque diſſipet hominem cum actibus
Coloſſ. 3. ſuis. Quàm facilè, inquam, fuerit, natantes illas in fluido flammas, Cœlumque ipſum in terras deriuare? ne hoc vno glorietur impoſterum terra noſtra, quòd nempe digito Cœlum tangat: ſed glorietur inſuper, quòd Caput inſerat Aſtris, Aſtris coronata.

Deriuauit enimuero (quantum conijcere fas eſt) benigniſſimè: noſque huius deriuationis beneficio, ſolo iam
Act. 2. Cœlo, circumfuſi, ſolam iam Cœli auram ſpirantes, non muſto madere per calumniam dicemur, non dolebimus (hoc enim ebrietatem ſaperet, nec Apoſtolo dignam, nec homine) ſed erimus verè Cœlo pleni, ac Deo; noſtramque ſortem abunde nobis gratulabimur; id vnum interim exorantes enixè. Faxit per Summam ſui benignitatē, præpotens Deus, vt quod fœdus ſociata terris ſydera ſtrinxere; illud nulla poſterorum ętas diſſoluat. Tamdiù quippè terris incumbet fœlicitas, quandiù Montes Stella coronabit.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

LAVS DEO.